Korioth, D.
De Atticorum Iove
Milichio.


DE ATTICORUM IOVE MILICHIO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXII. MENSIS IUNII A. MDCCCLVIII.

PUBLICE DEFENDET

DOMINICUS KORIOTH,
PRESB. VARM.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.



ANTONIO EICHHORNIO

DOCTORI PHILOSOPHIAE, CANONICO VARMIENSI, EXAMINATORI PRO-SYNODALI REL.

AVUNCULO SUO CARISSIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

§. 1.

Consentiunt inter se praestantiores nostrae aetatis mythologi, quorum primum locum obtinet F. G. Welckerus,[1]) vir clarissimus, in Iovis nomine antiquitus aut omnino unum et summum deum latuisse, aut saltem Iovem inter ceteros deos ita eminuisse, ut religionis unitas, quantulacunque fuit, servaretur. Ad quam sententiam magis confirmandam me quoque pro virili parte pauca quaedam allaturum esse ratus, hanc de Atticorum Iove Milichio commentationem composui. Priusquam tamen ad propositum accedam, non alienum videtur ad antiquissimam illam religionis unitatem demonstrandam Iovisque simul naturam accuratius significandam ea commemorare, quae cum re ipsa cohaerere videntur.

Antiquissimo illo tempore, quod neque historicis terminis possumus circumscribere neque veritatis lumine perscrutari, quum ex vulgari Graecorum opinione omnium rerum regimen, diversorum elementorum habita ratione, inter summos tres deos divideretur[2]), quorum primus coeli, secundus maris, tertius inferorum haberet imperium: Iupiter potis-

---

[1]) Griechische Götterlehre, 1. Bd. Göttingen. 1857. [2]) Hom. Jl. XV. 187 sqq.

simum, quamvis propter communem ortum inter se pares esse crederentur, et summum in fratres imperium accepit et omnium ceterorum deorum seu apud Graecos ipsos ortorum seu e gentibus externis accitorum nominabatur pater et rex. — Quod nisi simplicem quendam et unicum nominis divini cultum principio apud Graecos fuisse admittamus, vix explicari potest. Atque haec opinio confirmatur etiam illis Iovis nominibus, quibus tria primaria alias inter tres summos deos divisa munera coeli, maris et inferorum antiquitus ad Iovem solum referuntur.

Nam Iuppiter non solum est Ζεὺς Ὀλύμπιος[1]), Αἰθέριος, Οὐράνιος, i. e. Coelestis, sed etiam Ἀΐδιος, Χθόνιος (καταχθόνιος)[2]) — Terrestris et Θαλάσσιος — Maritimus.[3]) Terrestris dei notio quum ad Plutonem reliquosque inferos, maritimi quum ad Neptunum transiisset, Iovi coeli et aëris latissima spatia atque omnia, quae ibi fiunt mutanturque, relicta sunt tanquam provincia, ita tamen, ut veteris et latioris notionis remanerent vestigia. Ad quae haud iniuste et Τριόφθαλμον illum Iovem adnumeramus, qui ut Ζεὺς πατρῷος Larissae in urbe Argiva sub divo colebatur et cui veteres scriptores ipsi ideo tres oculos attributos esse arbitrantur, ut triplex eius in coelo terra mari potestas indicetur[4]), et duos antiquissimos versus, quos Philostratus[5]) servavit:

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ
Πηλαίῃ τε καὶ ἱππείῃ καὶ ἡμιονείῃ.

---

[1]) cf. Welcker l. c. p. 172—175. Preller, Griechische Mythologie I. p. 47—48. Hom. Jl. I. 353. 609. [2]) Paus. II. 2, 7. V. 14, 6. Hom. Il. IX. 457. [3]) Hesych s. v. cf. Ζεὺς οὔριος, Z. εὐάνεμος (Gerhard, Griech. Mythol. §. 199. n. 7.) et Z. ἀκταῖος (Preller, Griech. Mythol. I. p. 93.) [4]) Pausan. Corinth. c. 24. 5. [5]) Heroic. II. 9.

Quibus Philostratus poëtam dicere voluisse annotat, ὅτι Ζεὺς εἴη τὸ ζωογονοῦν καὶ δι' οὗ ἀνίσταται τὰ ἐκ τῆς γῆς πάντα. Cuius sententiam etiamsi hoc loco neque approbamus neque improbamus, id tamen constat, iam veteribus haud incompertum fuisse, a Iove non aliena esse illa munera, quae terrestribus diis proprie assignantur. Eandem rem apertius indicant alii versus, quos Pausanias X. 12, 10 fabulosas Peleades cecinisse narrat, quibus non obscure Iuppiter terrae maritus invocatur:

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἔστι, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ·
Γᾶ καρποὺς ἀνίει διὸ κλῄζετε ματέρα Γαῖαν.

Hanc vero terram matrem non aliam esse nisi Cererem, cuius nomen Graecum (Δημήτηρ) hoc ipsum exprimit, nemo non videt.

Generalis illa Iovis notio, quam modo constituimus, quomodo deinde pro diversa diversorum pagorum natura diversaque incolarum indole mutata sit et arctior facta atque ad mores vitamque publicam temperata, multis exemplis potest monstrari. Nos tamen de Attico tantum Iove quaerere iuvat.

§. 2.

In Attica, ubi hominum prima cultura reique publicae institutio ab agris colendis initia ceperunt, Iovis vim atque actionem in coeli serenitate pluviarumque vicissitudine, unde tota pendet agrorum conditio, poni oportuit. Quapropter eum una cum reliquis Graecis *Αἴθριον*, *Ὑέτιον*, *Νεφεληγερέτην*, *Κελαινεφῆ*, *Κεραύνιον* et aliter appellabant. Tali modo deus a g r a r i u s factus est, qui rura, arva benigne foveret, a quo agrorum proventus et foecunditatem gregum sperabant et cui voti compotes gratias agebant. Antiquissimis temporibus a Cecrope ei sacra et ea incruenta insti-

tuta eumque Ὕπατον cognominatum esse, Pausanias narrat VIII. 21. Ad producendas autem agrorum fruges non modo coelum serenum et pluvia opportuno quoque tempore rura irrigans necessaria sunt, sed illa quoque, quae videri nequit, solo innata et arte hominum aucta vis procreandi semina, quam nos miramur, tum maxime antiqui homines, qui naturae arcana legesque acutioribus sensibus percipiebant et ad poëticam eorum interpretationem propensiores erant, mirabantur. Eam igitur partem Iovi, quippe qui terram aridam imbribus humectaret, partim diis inferis attribuebant. Qua in re ad novos deos partes translatas esse, quas principio in uno fuisse contendimus, et Iovem *Μειλιχίου* cognomine appellatum, vetustissimum esse apud Atticos deum terrestrem (*Χθόνιον*), totius quaestiunculae nostrae tenor demonstrabit.

§. 3.

Veteres scriptores Iovis Milichii non crebram fecerunt mentionem. Gravissima quidem et prima facta est a Thucydide I. 126., cuius verba haec sunt: *Ἔστι γὰρ καὶ Ἀθηναίοις Διάσια ἃ καλεῖται Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίου μεγίστη, ἔξω τῆς πόλεως, ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι, πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια*[1]).

Deinde apud Xenophontem Anab. VII. 8. 4. et 5. haec legimus: *Ὁ δὲ* (sc. *Εὐκλείδης* quidam) *εἶπεν· ἐμπόδιος γάρ σοι ὁ Ζεὺς ὁ Μειλίχιός ἐστι, καὶ ἐπήρετο, εἰ ἤδη ποτὲ θύσειεν ὥσπερ οἴκοι, ἔφη, εἰώθειν ἐγὼ ὑμῖν θύεσθαι καὶ ὁλοκαυτεῖν. ὁ δ' οὐκ ἔφη, ἐξ ὅτου ἀπεδήμησε, τεθυκέναι τούτῳ*

---

[1]) Locum interpunxi post θύουσι cum Kruegero et Poppone ob causam postmodo afferendam.

τῷ θεῷ. . . . Τῇ ὑστεραίᾳ ὁ Ξενοφῶν . . . ἐθύετο καὶ ὡλοκαύτει χοίρους τῷ πατρίῳ νόμῳ.

Pausanias et Plutarchus, qui saepius Milichium commemorant, et si qui erunt alii, suo quisque loco laudabuntur.[1])

Praeter hos citandi sunt Aristophanes et Lucianus, qui data occasione Diasiorum solemnissimorum Milichii dierum faciunt mentionem. Et apud Aristophanem quidem Strepsiades ita gloriatur:

Nub. v. 407.

Νὴ Δί' ἔγωγ' οὖν ἀτεχνῶς ἔπαθον τουτὶ ποτὲ Διασίοισιν·
ὤπτων γαστέρα τοῖς συγγενέσιν κᾆτ' οὐκ ἔσχων ἀμελήσας.

et v. 863.

Ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον Ἡλιαστικόν,
τούτου 'πριάμην σοι Διασίοις ἁμαξίδα.

Lucianus vero Tim. c. 7[2]). *Οὗτος* (i. e. *Τίμων*), inquit, *ἐστὶ παρ' ᾧ λαμπρῶς ἑορτάζειν εἰώθαμεν τὰ Διάσια.* Idem Icarom. c. 24[3]): *Δι' ἣν αἰτίαν ἐλλείποιεν Ἀθηναῖοι τὰ Διάσια**[4]) *τοσούτων ἐτῶν;* et Charid. c. 1[5]). . . . . *βίβλιον ἀναγνοὺς ἐνίκησεν ἐν Διασίοις* (sc. Androcles quidam.).

Ad Aristophanis et Luciani locos exstant scholia, quorum Aristophanicum vetustissimum esse videtur et ad verba Thucydidis respicere.

---

[1]) His, si libet, adiungas auctorem libri qui circumfertur Aristotelis nomine de mundo c. 7. varia Iovis cognomenta enumerantem: Ἑτεραῖός τε καὶ φίλιος καὶ ξένιος, καὶ στράτιος καὶ τροπαιοῦχος καθάρσιόςτε καὶ παλαμναῖος, καὶ ἱκέσιος καὶ Μειλίχιος, ὥσπερ οἱ ποιηταὶ λέγουσι· et has e Boeckhii Corpore Inscriptiones: Vol. I. p. 739. n. 1568. v. 6. . . . δεδόχθη τῦ δάμυ ὅπω[ς] ἔχω[νθι τῶν πολιτάων τὺ [θ]ου- [ο]ν [τ]ες [τυ Διῒ τ]ῦ μειλιχίυ . . . . .
τιμυ κατασκευάττη. Vide Boeckhium ad h. l. — Vol. II. p. 177. n. 2150. Ἑρμίων Μειλιχί[ῳ Διῒ ἀ]ν[έθηκεν. [2]) Ed. Iacobitz. Lips. 1836—41. Vol. I. p. 45. [3]) Ibid. Vol. III. p. 57. [4]) Haec lacuna praepositione ἐκ explenda videtur. [5]) Iacobitz. Vol. III. p. 625.

Διασίοις Ἀθήνησιν ἑορτὴ Μειλιχίου Διός· ἄγεται δὲ μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ῆ φθίνοντος. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ἀχαρνεὺς τὰ Διάσια διακρίνει ἀπὸ τῆς Μειλιχίου Διὸς ἑορτῆς καὶ προςαγορεύεσθαι αὐτὰ λέγει, καθάπερ τινές φασιν ἀπὸ τοῦ διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαῖς τὰς ἄσας. — Ἄλλως. ἑορτὴ Διὸς τὰ Διάσια Ἀθήνησιν, ἐν ῇ πανδημεὶ ἔξω τοῦ τείχους συνόντες ἑορτάζουσιν.[1])

Scholiasta ad Luciani Tim. c. 7 haec tradidit:[2]) *Τὰ Διάσια· ἑορτὴ Ἀθήνησιν οὕτω καλουμένη, ἣν εἰώθεσαν μετὰ στυγνότητος ἐπιτελεῖν, θύοντες Διῒ τῷ Μειλιχίῳ· ἔοικε δὲ καὶ τοὔνομα ταύτῃ ἀπὸ τοῦ διασιαίνειν τεθεῖσθαι.* V. *Διασιαίνειν δὲ τὸ ἀποτρέπεσθαι τὰς ἀνίας· ὅρα ἐν τῷ Ἰκαρομ. καὶ προςτίθει τοῦτο τοῖς ἐκεῖ.* —

Ad Icarom. vero ita legimus:[3]) *Διάσια· ἑορτὴ ἦν Ἀθηναίων, ἣν ἐτέλουν μετά τινος στυγνότητος θύοντες ἐν αὐτῇ Διῒ Μειλιχίῳ.* Ex his igitur fontibus lexicographi hausisse videntur, quidquid de Iove Milichio eiusque Diasiis annotarunt. Sed iam ad propositum nostrum propius accedentes *Μειλιχίου* nominis vim et significationem excutiamus.

§. 4.

Μειλίχιος vocem ad verbum *μειλίσσειν* et porro ad radicem *μέλι* pertinere, vix opus est dici; deinde quid, quando nudi adiectivi vicibus fungitur — et crebro quidem apud poëtas potissimum legitur — significet, cui libuerit e lexicis, quae circumferuntur, satis intelliget, nostra tantum interest sensum voculae inquirere et reperire interpretationem, quatenus ad Iovis quandam propriam vim atque naturam

---

[1]) Dedi ex edit. G. Hermann. post Aristoph. Nub. [2]) Lucian. ed. Hemsterhus. Amstel. 1773. tom. I. p. 113. [3]) Bachmann Anecd. Gr. Lips. 1828. Vol. II. p. 329, 21.

indicandam apposita apparet. Formulam autem *Ζεὺς Μειλίχιος* explicaturus opportune comparabis formulas *Ζεὺς Ξένιος* et *Ζεὺς Ἱκέσιος*. Quemadmodum hae optime redduntur Iuppiter hospitibus praefectus aut iura dans et Iuppiter supplicibus praefectus aut iura dans, ita *Ζεὺς Μειλίχιος* significat Iovem preces vel vota fundentium clementer audientem, est igitur Iuppiter benignus, placidus, ut aiunt, per eminentiam. At ex omni parte accuratam et subtilem *Διὸς Μειλιχίου* interpretationem ex sola vocula elicere nequimus. Quare si Placati quoque vel Placabilis sensum admittimus et si pollicemur fore ut, quum de Milichii natura et cultu disputaverimus, tum quoque nominis significatio tota eluceat, nemo nos levitatis arguat. Restat hoc loco, ut commemoremus, *Μειλίχιος* a nonnullis reddi Placator, quam interpretationem ideo reiicimus, quia, ut infra apparebit, euphemismo nominis repugnat.

§. 5.

Non Iuppiter solus *Μειλιχίου* cognomine apud Graecos gaudebat, sed alii quoque *θεοὶ Μειλίχιοι* nobis noti sunt. Plutarch. de esu carn. p. 944 A. *Καὶ τὸν Ἡμερίδην καὶ Μειλίχιον αἰσχύνετε Διόνυσον.* Id. Anton. c. 24. *Θύρσων δὲ καὶ κιττοῦ καὶ ψαλτηρίων ἡ πόλις ἦν πλέα, Διόνυσον αὐτὸν ἀνακαλουμένων χαριδότην καὶ Μειλίχιον.* Naxii Bacchum ideo vocabant *Μειλίχιον*, quod *τὸν σύκινον καρπὸν* dedisset, unde etiam *τοῦ Βακχέως Διονύσου πρόσωπον* apud eos *ἀμπέλινον*, sed *τὸ πρόςωπον τοῦ Μειλιχίου* fuit *σύκινον.* [1]) — Fuerunt praeter hunc Dionysum terrestrem

---

[1]) Hos locos transcripsi ex Steph. Thes. ling. Graec. s. v. Μειλίχιος.

tres Graecorum dii inferi eo nomine appellati: Demeter, Persephone, Pluto, qui iidem Boni Dii (θεοὶ ἀγαθοί) nuncupabantur[1]. A mortuorum rectoribus nomen ad ipsos mortuos transibat[2], qui, ut ex Hesiodo notum est[3], non minus quam dii inferi oblatis et libationibus placabantur. Quibus omnibus debita sacra facta esse, puer quidam mortuus in Boeckhii C. I. Vol. l. p. 537. n. 956. v. 5. seqq. narrat.

Ναὶ μὴν καὶ πάντων με καλῶν, ὅσα παισὶ φερίστοις,
πλῆσεν προφρόνεως κλεινὸς ἐμεῖο πατήρ.
πάσας γὰρ λοιβάς τε καὶ ὅσσα μέμηλε θεοῖσιν,
εἵνεκ' ἐμῆς ψυχῆς οὐ λίπε μειλιχίοις.

Sic autem appellabantur eodem euphemismo, quo Romanis vita defuncti Manes i. e. Boni et Dii inferi Averrunci; utrique una quoque appellatione Inferorum comprehendebantur.

Est quidem Venus quoque apud Plutarchum *Μειλιχίου* cognomine ornata, sed, licet eius natura non aliena sit ab illa terrestri vi, qua gignuntur omnia et aluntur, e loco manifestum est, eam mitem et amicam deam Marti malo et noxio oppositam esse. Moral. p. 370.: *Ἐκ δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεως Ἁρμονίαν γεγονέναι μυθολογοῦνται· ὧν ὁ μὲν ἀπηνὴς καὶ φιλόνεικος, ἡ δὲ μειλίχιος καὶ γενέθλιος.* — Memoratu dignum esse duximus, quod apud Plutarchum de fort. Roman. p. 322. F. legimus, fortunam obsequentem (*τυχὴν πειθήνιον*) a quibusdam *μειλίχιον* appellari. Deorum denique benignorum in universum fit mentio Orph. Hymn. prooem. 30. Orac. ap. Phlegont. Macrob. exstr. Pausan. X. 38, 8.

---

[1]) cf. Creuzer Symb. I. p. 164. [2]) cf. Plut. Quaest. Rom. p. 277, 4 Reisk. Tom. VII. p. 120. et Quaest. Graec. p. 291, 49. Reisk. ibid. p. 172. [3]) DD. et OO. v. 112. seqq.

§. 6.

Neque solum Athenis Iuppiter Milichius adorabatur, sed aliis quoque locis, quamquam tanta, quanta Athenis, solemnia nusquam invenimus. E Pausania compertum habemus, Iovem *Μειλίχιον* et Dianam *Πατρῴαν* nulla fabricatos arte Corinthi collocatos fuisse; ille pyramide, haec columna efficta fuit.[1])

Idem auctor apud Argivos eiusdem Milichii commemorat simulacrum e candido marmore a Polycleto exsculptum.[2]) In Boeckhii C. I. Vol. I. p. 739. n. 1568 et Vol. II. p. 177. n. 2150 Milichio templa dedicata esse videntur Orchomeni et Chalcidices, Megalopolensem vero *Δία φίλιον*, de quo apud Paus. VIII. 31. 2. sermo est[3]), *Μειλίχιον* habendum esse, infra pluribus monstrare conabimur. Diis denique Milichiis apud Myoneam urbem, non procul a Naupacto sitam, lucum et aram fuisse consecratum iisque nocte sacra solita fieri et ante solis ortum sacrificii carnem consumtam esse, Pausanias narrat.[4])

§. 7.

Iovem et apud Graecos et apud Romanos, prout conditio segetum postulabat, modo coelum serenum effecisse,

---

[1]) II. 9, 6. Ἔστι Ζεὺς Μειλίχιος καὶ Ἄρτεμις ὀνομαζομένη Πατρῴα σὺν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμιᾷ· πυραμίδι δὲ ὁ Μειλίχιος, ἡ δὲ κίονί ἐστιν εἰκασμένη. [2]) II. 20, 1. ''Ἄγαλμά ἐστι καθήμενον Διὸς Μειλιχίου λιθοῦ λευκοῦ, Πολυκλείτου δὲ ἔργον. [3]) Τοῦ περιβόλου δέ ἐστιν ἐντὸς Φιλίου Διὸς ναὸς, Πολυκλείτου μὲν τοῦ Ἀργείου τὸ ἄγαλμα, Διονύσῳ δὲ ἐμφερές· κόθορνοί τε γὰρ τὰ ὑποδήματά ἐστιν αὐτῷ καὶ ἔχει τῇ χειρὶ ἔκπωμα, τῇ δὲ ἑτέρᾳ θύρσον, κάθηται δὲ ἀετὸς ἐπὶ τῷ θύρσῳ· καίτοιγε τοῖς εἰς Διόνυσον λεγομένοις τοῦτο οὐχ ὁμολογοῦν ἐστιν. [4]) X. 38, 4. Καί σφισιν ἄλσος καὶ βωμὸς θεῶν Μειλιχίων

modo pluviam administrasse, tam nota omnibus res est, ut Xenoph. Oecon. XVII. 2. Atheniensium preces, quibus Iovem quotannis pluviam rogabant, hoc loco memorare sufficiat. Ille quidem haec scribit: *Ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἐπέλθῃ, πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσι, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν.* Has vero M. Antoninus *εἰς ἑαυτ.* V. 7. servavit, suntque tam breves quam pulchrae: *ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων.* Eadem ratione, qua Graeci ex hac re desumta cognomenta Iovi attribuebant, Romani eum Pluvium appellabant et Imbricitorem et „Iove sereno“ usitata iis erat formula loquendi. Pertinent huc quoque nomina *Ἀκταῖος, Καραιὸς* apud Boeotos et apud Atticos *Ἐπάκριος*, quibus Iuppiter deus montium litorumque praedicatur. Summis enim montibus et in altis rupibus in mare proiectis nubes pluvia et imbribus gravidae solent coire. Iovem igitur summum universi regem omnesque illos deos, quorum sedes et potestas in aëre coeloque ponebatur, ab agricolis maxime cultos esse, neque ignorat quisquam neque miratur. At illud mirandum est, cur diis, penes quos imperium mortuorum erat, iisdem agrorum quoque cura atque tutela commissa fuerit. Sed si rem diligentius consideraverimus, nihil reperiemus, quod non probemus, immo fatebimur, profunde pulchreque, uti a Graecis assolet, esse excogitatum et ab hominum ingenio poëtico minime alienum.

Est autem inter hominis ortum ultimamque sortem et agrorum fruges coniunctio quaedam memoratu dignissima, quam Graeci non solum sermone, sed ritibus quoque quibusdam in cultu observatis haud obscure indicarunt.[1]) Nam

---

ἐστὶ· νυκτεριναὶ δὲ αἱ θυσίαι θεοῖς τε τοῖς Μειλιχίοις εἰσι, καὶ ἀναλῶσαι τὰ κρέα αὐτόθι, πρὶν ἢ ἥλιον ἐπισχεῖν, νομίζουσιν. [1]) Pertinent huc imprimis Thesmophoria a mulieribus Atheniensium celebrata.

generatio hominis σπείρειν iis appellabatur [1]), adolescentis conditio frugum crescentium iam sponte similis est, sepulturam denique vel ipse Paulus Apostolus quodam loco cum seminatione frumenti comparat. [2]) Etiam Goethius noster querulam quidem et tristem, sed dulcem quoque chordam in hunc modum tetigit:

Flach bedecket und leicht den goldenen Samen die Furche,
Guter! die tiefere deckt endlich dein ruhend Gebein.
Fröhlich gepflügt und gesä't! hier keimet lebendige Nahrung,
Und die Hoffnung entfernt selbst von dem Grabe sich nicht.

Deinde veteres Graeci ita fere philosophabantur: mortalibus fato esse constitutum, transacta vita terrae reddere, quae terrae debeant, et sic quodammodo reficere suis corporibus foecunditatem terrae, quae fructibus unoquoque anno ferendis defatigari et consumi videbatur, ne perpetuus rerum ordo turbetur, sed potius ut sine ulla intermissione e morte nova vita resurgat. Ea sane aut similis causa fuisse mihi videtur, cur vere, ubi vincula terrae solvuntur, ubi omnia, quorum semina hieme latebant, lucem petunt, defunctorum quoque animae tenebrosam domum relinquere et lemurum instar per agros circumvagari creditae sint. Hoc ipsum ut caveretur, neve, qui vita et luce gaudebant, ab illis, qui morte oppressi aeterna et subterranea domicilia incolebant, laederentur, Anthesterione mense libari iis et offerri aliique tristes ritus obiri solebant.

---

[1]) Vid. Soph. Oed. R. v. 1210. 1256. Antig. 569. Aesch. Sept. c. Th. 735. Eurip. Phoeniss. 18 et interpretes ad. hh. ll.
[2]) I. Cor. 15, 42. seqq.

Quodsi igitur iam manes tali vinculo cum agricultura cohaerere videbantur, quanto magis eorum domini et rectores ea omnia in se habere et curare debebant, quae et ad fertilitatem terrae et conditionem hominum mortuorum spectabant. Idem est enim gremium terrae matris, unde segetes laete hominibus efflorescunt et reliquis animalibus victus comparatur, et quo homines tandem atque omnia animantia defuncta vita conduntur: eadem terra parens est et sepulcrum cunctorum. Quare quid magis consentaneum est, quam duplex hoc terrae munus, hanc duplicem vim, quae parit aeque atque perdit, etiam duplici religione apud Graecos esse cultam: illam funestam et perniciosam quam maxime aversabantur et placatissimam semper habere volebant, hanc laetam vitaeque matrem et fautricem debitis honoribus et laudibus prosequebantur.

Hinc dii illam naturae proprietatem significantes et continentes terrestriumque deorum (*θεῶν χθονίων*) nomen accipientes nunc mites et boni, nunc graves et mali videbantur. Sic Proserpinam, tristis et timendi Inferorum regis uxorem et teneram almamque Cereris puellam venerabantur,[1]) et Pluto non modo mortuorum agmina gravi imperio coërcebat, sed rebus quoque rusticis benigne favebat, deinde etiam divitiarum et bonorum omnium largitor habebatur[2]) ideoque eodem modo a *πλοῦτος*, quo Core

---

[1]) Eurip. Rhes. v. 964. Καρποποιὸς παῖς Δήμητρος. Hymn. Orph. IX. 20. Κόρη βιοδῶτις. Porphyr. antr. Nymph. 14. Ἡ κόρη παντὸς τοῦ σπειρομένου ἔφορος. [2]) Porphyr. ap. Euseb. praep. ev. III. 11. Τῆς δ' αὖ γεωργικῆς δυνάμεως, καθ' ἣν αἱ δόσεις τοῦ πλούτου, ὁ Πλούτων· ὁμοίως μέντοι καὶ τὴν φθαρτικὴν ἔχει δύναμιν.

(Proserpina) a *κορεσθῆναι*, i. e. satiando,[1]) nomen duxisse dicebatur.[2])

§. 8.

Sed cur Iuppiter coelestis et aetherius deus, non dicam ad inferos, sed ad illa potuerit adnumerari numina, quae in visceribus terrae habitabant, causa duplex potest afferri. Apud Athenienses enim et *Γεωργοῦ* munere fungebatur et ex antiquissimis temporibus terrestrem quandam naturam retinuisse videtur, quam *χθονίου* epitheto indicatam esse existimo. Eo certe nomine, quo ornatus Olympiae et Corinthi, teste Pausania[3]), colebatur, nihil aliud potest significari, nisi illa latens et incognita vis naturae, qua insita terrae fertilitas ad producendas fruges excitatur. Et eam a Iove prima Graecorum aetate haud alienam fuisse, sed, ut meam mentem aperiam, post Pelasgorum tempora deorum numero aucto singulorumque facultatibus et proprietatibus pro naturalis religionis peculiari indole subtiliter distinctis et distributis, ad terrestres deos transiisse, Dodonaei Iovis terrestris natura et antiquus cultus satis ostendunt. Nam si verum est, quod inter viros doctos facile constat, e septentrione, maxime e Thessalia, quam antiquissima aetate multo longius quam recentiore patuisse notum est, in reliquam Graeciam magna ex parte deorum cultum profectum

---

[1]) Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1429. Etym. M. s. v. κορεσθῆναι. [2]) Salse in hunc sensum de Hispaniae divitiis Strabo III. p. 147. Παρ' ἐκείνους, inquit, τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅιδης, ἀλλ' ὁ Πλούτων κατοικιεῖ. [3]) V. 14, 6. Πρὸς αὐτῷ δ' ἐστὶν ἀγνώστων θεῶν βωμὸς καὶ μετὰ τοῦτον καθαρσίου Διὸς καὶ Νίκης καὶ αὖθις Διὸς ἐπωνυμίαν χθονίου. — II. 2. 8. Τάδε τοῦ Διὸς καὶ ταῦτα ὄντα ἐν ὑπαίθρῳ τὸ μὲν ἐπίκλησιν οὐκ εἶχε, τὸν δὲ αὐτῶν χθόνιον καὶ τὸν τρίτον καλοῦσιν ὕψιστον.

esse, fieri quoque potuit, ut Iovis illius Dodonaei religio in Attica innotesceret. Re ita comparata, quum *χθονίου* epitheton terrestrem eius naturam satis perspicue indicet, quumque veteris Pelasgici Iovis, cuius natura quin in humido et terrestri vi gignendi sita fuerit, nemo est qui dubitet, omnis memoria et cultus haud facile intercidere posset, videamus, annon in ipso, de quo quaestio est, Iove Milichio illam proprietatem reperiamus quum e coeli mutationibus et tempestatibus tum ex terrestribus officiis attributam.

§. 9.

Iovis Attici dies perquam solemnes *Μαιμακτήρια* et *Διάσια* fuisse produntur. — *Μαιμακτήρια* quidem, Photio s. v. auctore[1]), dicta sunt a *Διὶ Μαιμάκτῃ*. *Μαιμάκτης* vero quid significet, continuo addit: *Ὁ ἐνθουσιώδης καὶ ταρακτικὸς ἀρχὴν λαμβάνοντος τοῦ χειμῶνος· ἐν τούτῳ τῷ μηνὶ ὁ ἀὴρ ταράττεται καὶ μεταβολὴν ἴσχει.* [2]) Hunc Iovem latine reddere possumus Vesanum, eodem sensu, quo Plautus Trinumm. IV. 1, 7 de mari tumultuoso et ventis agitato loquitur:

Neptunum spurcificum, immanem, intolerandum,
vesanum!

Illum vero *Μειλίχιον* fuisse, alio tantum nomine nuncupatum, Plutarchus auctor est. De cohibend. ira c. 9. *Διὸ καί*, inquit, *τῶν θεῶν τὸν βασιλέα Μειλίχιον, Ἀθηναῖοι δὲ Μαιμάκτην, οἶμαι, καλοῦσι.* Et Hesychius s. v. *Μαιμάκτης* est *Μειλίχιος, καθάρσιος*. — Solemnia deinde

---

[1]) Maemacterion enim mensis, quo haec obibantur, ipse a Μαιμάκτῃ appellatus est. Μαιμακτηριὼν ἀπὸ Διὸς Μαιμάκτου. [2]) cf. Harpocrat. s. v. Μαιμακτηριών.

praeter alios ritus purgatorios[1]) ita celebrabantur, ut Iovi piando hostia immolaretur. Boeckhius, vir clarissimus, ad C. I. n. 523 sacrificium illo die mactatum Iovi *Γεωργῷ* adscripsit, sed ex eo ipso, quod iste *Γεωργός* placabatur eiusque ad tuendas segetes auctumnales benignum auxilium implorabatur, manifestum est, caput et consilium sacrorum placationem fuisse, unde colligi licet, *Γεωργὸν* ad *Μαιμάκτην* et *Μειλίχιον* pertinere.

§. 10.

Altera eiusdem Iovis solemnia fuerunt *Διάσια*, quae exeunte Anthesterione mense, quum imbres vernales saevire desierant celebrabantur et uno omnium, a quibus commemorantur, ore Iovi Milichio addicuntur. Ea cum quadam tristitia solita esse obiri, ex iis, quae supra ex scholiis iam laudavimus,[2]) satis notum est. Iovi secundum gravissimum Thucydidis testimonium *θύματα ἐπιχώρια*, i. e. scholiasta ad hunc locum interpretante, plagunculas in formas animalium expressas offerebant[3]) et, ut infra demonstrare conabimur, hostiam immolabant et eam suem. E Xenophontis enim l. c. constat, morem fuisse, Milichium sue placare quumque eiusmodi sacrificia notum sit inferis tantum et terrestribus diis facta esse, facili negotio concluditur, Iovem illis solemnibus ut deum terrestrem cultum esse. Quae quum ita sint, *Μειλιχίου* nomen non solum proprio sensu, sed crebri quoque notique apud Graecos euphemismi ratione ex-

---

[1]) Eusthath. ad Odyss. XXII. 481. Καὶ οἱ τὸ διοπομπεῖν ἑρμηνεύοντές φασιν, ὅτι Δῖον ἐκάλουν κώδιον ἱερείου τυθέντες Διῒ Μειλιχίῳ ἐν τοῖς καθαρμοῖς φθίνοντος Μαιμακτηνιῶνος μηνός, ὅτε ἤγοντο τὰ πομπαῖα. [2]) Vide locos §. 3. [3]) Θύματα· πέμματα εἰς ζώων μορφὰς τετυπωμένα.

plicandum est. Re vera enim tristis erat et ater sacrisque, quibus hilaris mansuetusque fieret, placandus, et quod ad euphemismum attinet, illa numina, quorum sedes sub terra esse fingebantur, quorumque natura tristis et malefica credebatur, non proprio nomine appellabant neque invocabant, sed, ne eorum iram et malitiam excitarent, neve sibi ipsis in memoriam revocarent, aut ut omnino malum omen vitarent, adulatoriis atque faustis cognomentis utentes, eorum potius benevolentiam praeoccupare studebant. Sic e. g. Furiae ita timebantur, ut non aliter nisi *Εὐμενίδες* aut *Γλυκεῖαι* aut *Σεμναί* appellarentur. Eadem de causa mortuorum animae *Χρηστοί* aut *Μειλίχιοι* dicebantur.[1])

Quibus expositis, persuasum habemus, Milichium Diasiorum solemnitatibus celebratum natura terrestri fuisse eademque atra, tristi, gravi, piaculis mitiganda.

§. 11.

Tali modo non dubitavi ad C. O. Mülleri sententiam accedere, qui *Μειλίχιον* et *Χθόνιον* Iovem eundem esse primus dixit (Aeschyl. Eumenid. p. 139). Nam quae Prellerus, vir doctus et de mythologia antiqua bene meritus (Demeter und Persephone p. 246. not.), contra disputat, facili negotio refelli possunt. — Monet autem primum, Dionysium fuisse quidem *Μειλίχιον* appellatum, sed non quia *Χθόνιος*, sed quia deus ficus fuerit. At ficus eadem de causa e frugibus signum terrestrium deorum proprium, quo foecunditatis auctores indicarentur, attributa esse videtur, qua sus ex animalibus, quam Cereri praecipue sa-

---

[1]) cf. §. 5. ibique Plutarchi ll. ll.

cram fuisse, ipse Prellerus concedit. Quare etiam Iovem illum *Συκάσιον*, de quo Eustathius ad. Odyss. XVII. 116,[1]) non possum quin et cum *χθονίῳ* et cum ipso *Μειλιχίῳ* coniungam. Fuit enim secundum Eustathium l. c. *Καθάρσιος*, cui Milichioque similitudinem quandam subesse, infra videbimus. Deinde cum eodem *Μειλιχίῳ* Atticorum quoque *Μόριος* congruit, tum quia, testante scholiasta ad Soph. Oed. Col. v. 705.,[2]) idem est atque *Καταιβάτης*, cuius saeva vis satis nota est, tum quia, ut e Sophoclis dramate apparet, piando Oedipo interfuit.

Comprehendit deinde Prellerus idque bene *Καθάρσιον* et *Μειλίχιον*[3]) et ex eo, quod *Καθάρσιος* iuxta *Χθόνιον* collocatus fuerit, inter *Χθόνιον* et *Μειλίχιον* discernendum esse iudicavit.[4]) Quodsi vero apparuerit, intacta eorum similitudine, nihilominus tantam esse differentiam, ut vicinitas prospere explicari possit, cadet hoc quoque argumentum.

Fulcitur denique nostra de terrestri Milichii natura sententia eo, quod *θεοὶ Μειλίχιοι*, de quibus apud Pausaniam X. 38. 4., optimis consentientibus interpretibus, quibuscum Prellerus ipse fecit, terrestribus diis annumerantur.

§. 12.

Iovis terrestris saevi et molesti notio cultusque in Graecia latius patuit, quam nonnulli existimavisse videntur. Praetereo Dodonaeum *Ἀϊδωνέα* et *Λαφύστιον* Orchomenensem, notos eos esse rerum mythologicarum peritis

---

[1]) Λέγεται δὲ καὶ Συκάσιος Ζεὺς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ὁ καθάρσιος· τῇ γὰρ συκῇ ἐχρῶντό φασιν ἐν καθαρμοῖς. [2]) Περὶ Ἀκαδημίαν ἐστὶν ὅ τε τοῦ Καταιβάτου Διὸς βωμός, ὃν καὶ Μόριον καλοῦσιν. [3]) cf. Paus. X. 38, 4. cit. §. 6. [4]) cf. idem V. 14, 6. cit. §. 8.

ratus. Sed de *Εὐβουλεῖ*, *Εὐύπνῳ*, *Φιλίῳ*, *Ἐπιδώτῃ* pauca quaedam, quae reperire potui, afferam.

In Nicandri fragm. Alexiph. 14. *Τόδε χάσμα δυςέκδρομον Εὐβουλῆος* — *Εὐβουλέως* cognomentum proprie ad Plutonem spectat, de Iove propter generalem tantum eius notionem, quam primis temporibus apud Graecos viguisse monuimus, praedicari potest. Cyrenenses eo nomine usos esse, Hesychius s. v. docet.[1]) Latine reddas: qui bene consulit, quod in eum maxime quadrat, qui homines vitae laboribus et molestiis perfunctos requie tandem aeterna donare credebatur.

Εὐύπνου epitheton utrum idem quod *Εὐβουλεύς* an potius verum somnum, qui iam veteribus mortis frater dicebatur, significet, difficile est ad iudicandum. Sed tamen id perspicuum est, aliquid mysticum vel euphemisticum latere.[2])

Iovem deinde *Φίλιον* ex una commemoratione Pausaniae novimus. Describit autem VIII. 31, 2. simulacrum quoddam Iovis in templo Megalopolensi constitutum, quod, excepta aquila, quae in thyrso insedisset, Bacchum repraesentaverit. Sed tamen recte a Pausania[3]) Iovem eumque terrestrem cognitum esse, inde colligitur, quod in vicinitate illius templi Cereri et Proserpinae lucum sacrumque duabus dearum statuis minoribus ornatum, sequentibus narrat situm fuisse.[3])

---

[1]) Εὐβουλεὺς ὁ Πλούτων, παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς ὁ Ζεὺς ἐν Κυρήνῃ. [2]) Quo loco Hesychius hoc vocabulum explicat corruptus videtur: Εὔυπνος ὁ Ζεύς· ἢ καλὸς ὕπνος. παρὰ Δελφοῖς. [3]) Τοῦ περιβόλου δέ ἐστιν ἐντὸς Φιλίου Διὸς ναός, Πολυκλείτου μὲν τοῦ Ἀργείου τὸ ἄγαλμα, Διονύσῳ δὲ ἐμφερές. Κόθορνοί τε γὰρ τὰ ὑποδήματά ἐστιν αὐτῷ καὶ ἔχει τῇ χειρὶ ἔκπωμα, τῇ δὲ ἑτέρᾳ θύρσον, κάθηται δὲ ἀετὸς ἐπὶ τῷ θύρσῳ· καίτοι γε τοῖς εἰς Διόνυσον λεγομένοις τοῦτο οὐχ ὁμολογοῦν ἐστιν.

Non igitur, ut Prellerus[1]) aliique volunt, terrestribus lucus tantum consecratus fuit, templum vero Iovi amicitiae praesidi, sed utrumque ad terrestres deos pertinet, ita ut Iovem quoque *Φίλιον* terrestrem esse perspicuum sit. Verum enim vero ille Iuppiter, qui amicitiam tuetur, quid cum Cerere et Proserpina commune, quo tam arcta earum possit vicinitate gaudere? Nomine spero fore neminem, qui offendatur, fortuito enim factum esse puto, ut cum illo congruat, quod ex amicitiae patrocinio accepit.

Quas denique partes Iuppiter *Ἐπιδώτης* sustinuerit viri docti ambigunt. Nonnulli iterum ad euphemismum confugiunt et averruncum, alii, e quibus Siebelisium[2]) laudo, eum beneficum deum esse disputant nomenque, excluso euphemismo, significare et vertendum esse: qui bona dat. Quibus ego assentior. Namque e Plutarcho non suav. viv. p. 252. Frob. *Τῶν δὲ ἄλλων θεῶν ὁ μέν ἐστιν ἐπιδώτης, ὁ δὲ μειλίχιος, ὁ δὲ ἀλεξίκακος* — quamvis *Ἐπιδώτου, Μειλιχίου, Ἀλεξικάκου* epithetorum similitudinem concedamus, nihilominus id apparet, aliqua ex parte inter ea distinguendum csse. *Μειλίχιος*, ut cognovimus, iracundus est et saeviens et precibus mitigandus, *Ἀλεξίκακος* averruncus nude dicitur et missis ambagibus, *Ἐπιδώτης* igitur una cum hisce praedicatum, aliud quidem, verum tamen nihil prorsus alienum indicabit. Ad quod intelligendum ipse Pausanias opportune nos ducit. Vidit[3]) enim quodam loco Somni et Somnii statuas, quos ultro terrestribus diis adnumerabimus, et *Ἐπιδωτῶν θεῶν* sacellum prope Aesculapii templum situm.[4]) Verum si Aesculapii natura, e terrae

---

[1]) Archaeol. Zeitung 1845. no. 31. [2]) Ad Paus. II. 27, 7. [3]) II. 10, 2. Ἄγαλμα Ὀνείρου καὶ Ὕπνος κατακοιμίζων λέοντα, Ἐπιδώτης δὲ ἐπίκλησιν. [4]) II. 27, 7 Ὁπόσα δὲ Ἀντωνῖνος, ἀνὴρ τῆς συγκλήτου

facultate alendi et sanandi tota pendens, in eo sita est, ut hominem secundum naturam viventem laetisque terrae muneribus vescentem bona valetudine donet, si attributa ei anguis, quae modo luxuriosam et redundantem, modo labefactatam et arte medica restitutam vim vitalem significat, terrestrem potissimum eum esse ostendit: socii eius *Ἐπιδῶται* quin terrestres sint, dubitare non possumus. *Ἐπιδώτου* igitur vis et notio primum ex illa terrae propria et innata facultate deducenda esse videtur, quae ad sanitatem vigoremque hominis confert, deinde vero e veterum ingenio ad universam hominis salutem bonamque fortunam paulatim translata, tam late patebat, ut Lacedaemonii etiam illum daemonem, cuius ope Pausaniae proditionem oppressam esse opinabantur, *Ἐπιδώτην* appellarent,[1] et Mantineae incolae *Ἐπιδώτην* quendam exstructa ara iuxta *Σωτῆρα* venerarentur.[2]

Itaque in reliquis, de quibus modo disputavimus, Iovis cognomentis euphemisticae locutionis usum admittimus, in hoc vero, nulla necessitate cogente, reiicimus. — Ceterum ille usus adeo valuit, ut apud Lesbios Iovem *Εὔφημον* inveniamus.[3]

§. 13.

Eodem cum Milichio *Ἐλευθέριον* quoque et *Σωτῆρα*, *Πλούσιον* et *Κτήσιον* cohaerere, ea quae insequuntur docebunt.

βούλης, ἐφ' ἡμῶν ἐποίησεν, ἐστὶ μὲν Ἀσκληπιοῦ λουτρὸν, ἐστὶ δὲ ἱερὸν θεῶν, οὓς Ἐπιδώτας ὀνομάζουσιν. [1]) Paus. III. 17, 8. Δαίμονα τιμῶσιν Ἐπιδώτην, τὸ ἐπὶ Παυσανίᾳ τοῦ Ἱκεσίου μήνιμα ἀποτρέπειν τὸν Ἐπιδώτην λέγοντες τοῦτον. [2]) Paus. VIII. 9, 1. Ἄλλα ἱερά, τὸ μὲν Σωτῆρος Διὸς, τὸ δὲ Ἐπιδώτου. Pergit Ἐπιδώτου vocabulum explicans: ἐπιδιδόναι γὰρ δὴ ἀγαθὰ αὐτὸν ἀνθρώποις. [3]) Hesych. s. v.

Iovem omnibus malis tum publicis tum privatis homines liberantem dictum esse Ἐλευθέριον, nemini ignotum est. Id quod eo consilio hoc loco commemorandum duxi, ut moneam, illo cognomine eum honorari, quia animam quoque ex vinculis corporis leniter expediat atque ad aeternam requiem traducat. Tacit. Annal. XV. 64. (Seneca) postremo stagnum aquae introiit, respergens proximos servorum, addita voce: libare se liquorem illum **Iovi Liberatori** (Ἐλευθερίῳ). Ibid. XVI. 35. (Thrasea) postquam cruorem effudit, humum superspargens: libamus, inquit, **Iovi Liberatori**. — Cum Ἐλευθερίῳ et vocabuli et muneris similitudine Iuppiter Σωτήρ plerumque congruit, quem variis Graeciae locis cultum esse, apud Pausaniam legimus.[1]) Huic quidem illos, quos e gravi aliquo morbo liberavisset, gratias egisse eumque ita Aesculapii filii vicibus functum esse, nemo mirabitur. At illud memoratu dignissimum est, Σωτῆρι huic Μειλιχίου quoque nomen inditum esse. Exstat enim in celebri museo Parisino marmor, cui haec legimus inscripta:

Ἀσκληπιάδης ὁ Ἀσκληπιοδώρου Διῒ Μειλιχίῳ. Quibus anguis addita est, quam Milichio in hisce quoque Nonni versibus attributam reperimus (Dionys. V. 569.):

Ὃν τέκε Περσεφόνεια δρακοντείῃ Διὸς εὐνῇ
σύγγαμος, οὐδαίοιο μελαγχλαίνου βασιλῆος,
Ζεὺς ὅτε πουλυέλικτος, ἔχων ψευδήμονα μορφὴν,
Μείλιχος ἱμερόεντι δράκων κυκλούμενος ὁλκῷ,
Περσεφόνης σύλησεν ἀνυμφεύτοιο κορείην.

Ex hac Σωτῆρος et Μειλιχίου confusione lucem accipit locus hucusque difficilis. Tacit. Annal. XV. 71: Mi-

---

[1]) Mantineae VIII. 9, 1. Lacedaemone IV. 31, 5. cf. IX. 26, 5. Templum ei Athenienses in Piraeo exaedificaverant. Lys. δοκιμ. 790.

lichus (homo perditus et delator venalis) praemiis ditatus **Conservatoris** sibi nomen, Graeco eius rei vocabulo adsumsit.

Et sic non solum nostra de terrestri Milichii natura prolata sententia denuo firmatur, sed omnia quoque illa Iovis cognomenta et functiones, quae anguem comitem habent, eandem naturam indicabunt et ad Milichium respicient. — Etiam *Σωτῆρα* interdum angue insignitum fuisse e Paus. IX. 26, 5. scimus, ubi *Σαώτης* quidem legimus, sed nullo nobis incommodo, quum *Σωτήρ* et *Σαώτης* vocabula sint eiusdem rei. Sed quum uni eidemque rei duo vel plura et ea diversa nomina sine causa imponi nequeant, inter *Σωτῆρα* quoque et *Μειλίχιον* discrimen in hunc fere modum statuendum erit: In periculis undecunque vitae et saluti hominis imminentibus *Μειλίχιον* blandis precibus et oblationibus placatoriis oportebat adire, qui *Σωτῆρα* eum habere volebat. Et hic quidem locus est interpretationi *Μειλιχίου*, quam Etymol. M. s. v. exhibet: *Μείλιχος καὶ Μειλίχιος σημαίνει τὸν πρᾷον καὶ πραΰντικόν, γίνεται ἀπὸ τοῦ μέλι.* — Simulque utriusque nominis euphemismus apparet. Per se enim manifestum est, fieri potuisse, ut misso Milichio statim ad *Σωτῆρα* preces funderentur, eique hoc nomen iam ante latam opem inderetur.

§. 14.

Quibus de *Σωτῆρι* et *Ἐπιδώτῃ* expositis, ad eorum naturam melius intelligendam aliquid nos esse allaturos duximus, si de *Ἀγαθῷ δαίμονι* pauca adiunxerimus. Est autem notus et ex Hesychio s. v. *Ἀγαθοῦ δαίμονος πόμα τὸ μετὰ δεῖπνον ἄκρατον πινόμενον παρὰ Ἀθηναίοις* — et e Diodoro IV. 3. *Φασὶν ἐπὶ τῶν δείπνων, ὅταν ἄκρατος οἶνος ἐπιδιδῶται, προςεπιλέγειν ἀγαθοῦ δαίμονος, ὅταν δὲ μετὰ τὸ δεῖπνον διδῶται κεκραμένος ὕδατι, Διὸς Σωτῆ-*

ρος ἐπιφωνεῖν. In prima Diodori verborum parte Ἐπιδώτην latere[1]) eumque Ἀγαθὸν δαίμονα appellari, sponte apparet. Sed eodem nomine etiam Σωτῆρα comprehendendum esse, mihi quidem satis certum est. Utriusque enim nomine arcanam quandam neque humanae menti intelligendam vim terrestrem significari, paulo ante vidimus et utrumque ut inter se propinquum in vicinitate cultos esse, e Pausaniae VIII. 9, 1. testimonio commemoravimus. Quo quum accedat, Σωτῆρα pro Ἐλευθερίῳ saepe occupare locum et Ἐπιδώτης cognomentum Ὕπνῳ tribui, eo magis eorum affinitas elucet. Quare ultima Diodori verba, quae discernere inter eos videntur, non tantopere urgemus, sed φασίν potius voculam initio positam tenemus, qua differentiam nominum, in religionis modo actu creditam et duplici libamine declaratam, indicari verisimile est. Ipsa denique libamina, quum post coenam pauloque ergo ante quam cubitum iretur, observarentur, Ἀγαθὸν δαίμονα, qui inter Ἐπιδώτην et Σωτῆρα dividitur, somni mortisque genium fuisse, ostendunt, sicque novum exhibetur exemplum euphemismi.

De Ἀγαθῷ δαίμονι haec quidem hactenus, quae si pluribus persequeremur, longe oratio aberraret.[2])

§. 15.

Fateor equidem potuisse fieri, ut Iuppiter propter coelestem suam naturam omniumque bonorum benignam distributionem Πλουσίου vel Πλουτέως vel Πλουτοδότου

---

[1]) cf. Paus. VIII. 9, 1. §. 12. cit. et Steph. Thes. Ling. Graec. s. v. Δωδωναῖος, quae inde derivatur, quod Iuppiter bona dat hominibus (ὅτι δίδωσιν ἡμῖν τὰ ἀγαθά). [2]) Vid. Gerhard. in Actis Acad. Berol. 1847. „Ueber Agathodaemon und Bona dea“ p. 461. seqq.

et *Κτησίου* et si qua sunt alia eiusdem generis epitheta nancisceretur, sed ad terrestres quoque deos et proprie quidem ea attinere, iam tetigimus, ita ut nihil obstet, quominus contendamus, etiam Iovem ex eodem officio eadem nomina accepisse. Cuius tamen rei quaestio quum a nostro proposito aliena videatur, de *Κτησίου* tantum nomine pauca dicemus.

Videtur nobis inter *Κτήσιον* et *Μειλίχιον* similis esse ratio, quae inter *Μειλίχιον* et *Σωτῆρα*, idque in opibus acquirendis et augendis. E Xenophonte enim Anab. VII. 8, 4 et 5[1]) perspicuum est, Iovem precibus mitigandum esse (*μειλικτὸν εἶναι*), priusquam lucranti faveat, et quum Milichium Iovem iratum esse et religione demum placandum deumque terrestrem cognoverimus, neminem spero fore, qui *Κτησίῳ* tam arcta societate ei coniuncto terrestrem naturam atque originem abiudicet, praesertim quum huic quoque anguis attribuatur.[2]) Deinde ex eodem Xenophonte apparet, *Μειλιχίου* sacra, non dico omnia, sed privata solum ad *Κτήσιον* quoque posse referri, ita ut nihil offenderemur, si Xenophon pro *Μειλιχίῳ* scripsisset *Κτήσιον*. Itaque Lobeckii,[3]) in Hesychio s. v. *Διὸς κώδιον Ἱκεσίῳ* pro *Κτησίῳ* legentis, coniectura optime supersedemus. Nam neque *Μειλιχίου* et *Κτησίου* coniunctio quidquam habet, quod explicari nequeat, neque ulla hoc Hesychii loco vestigia corruptionis suspicari possumus, quum vulgatam lectionem etiam Suidas et Apostolius VII. 10. exhibeant.[4])

---

[1]) cit. §. 3. [2]) Creuzer Symb. III. p. 123. Gerh. l. c. p. 463. [3]) Aglaoph. p. 128. Locum vide §. 16. cit. [4]) cf. C. F. Hermann Opusc. II. 2. p. 210.

§. 16.

Iam vero nunc de illis tam publicis quam privatis purificationibus caeremoniisque piatoriis tractandum est, quae uno vocabulo Ἀποδιοπομπήσεις vel Διοπομπήσεις vocabantur et in quibus vellus Iovis — Διὸς κώδιον sive Δῖον κώδιον — adhibebatur.

De hac re optimas observationes Eustathius et Suidas et auctor in Bekkeri Anecdotis nobis reliquerunt. Quorum ille quidem ad Odyss. XXII. 481. haec habet: *Καὶ οἱ τὸ διοπομπεῖν δὲ ἑρμηνεύοντές φασιν, ὅτι Δῖον ἐκάλουν κώδιον ἱερείου τυθέντος Διῒ Μειλιχίῳ ἐν τοῖς καθαρμοῖς φθίνοντος Μαιμακτηριῶνος μηνὸς, ὅτε ἤγοντο τὰ πομπαῖα·* — et Suidas s. v. *Διὸς κώδιον, οὗ τὸ ἱερεῖον Διῒ τέθυται· θύουσι δὲ τῷ Μειλιχίῳ καὶ τῷ Κτησίῳ· χρῶνται δὲ αὐτοῖς οἵ τε Σκιῤῥοφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες καὶ ὁ δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι καὶ ἄλλοι τινὲς πρὸς τοὺς καθαρμοὺς ὑποστρωννύοντες αὐτὰ τοῖς ποσὶ τῶν ἐναγῶν.* — Auctor vero in Bekkeri Anecd. p. 7. *Ἀποδιοπομπεῖσθαι καὶ διοπομπεῖσθαι σημαίνει μὲν τὸ ἀποπέμπεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι μύσῃ· συγκεῖται δὲ τὸ ὄνομα ἐκ τοῦ Δίου, ὅ ἐστι δέρμα τοῦ ἱερείου τοῦ θυομένου τῷ Διῒ, ἐφ᾽ οὗ ἑστῶτες ἐκαθαίροντο, κἀκ τοῦ πέμπεσθαι.*[1]) Apparet, ad Iovem placandum arietem esse mactatum eiusque vellus eo consilio detractum et asservatum, ut aliis ritibus observandis inserviret. Scirophoriorum pompa, quae deinde commemoratur,

---

[1]) Hesychii verba s. v. Διός κώδιον corrupta videntur et decurtata: Οὕτως ἔλεγον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἐτίθετο (ἐθύετο?), ἐφ᾽ οὗ οἱ καθαιρόμενοι ἑστήκεσαν τῷ ἀριστερῷ ποδί· τινὲς δὲ τὸ μέγα καὶ τέλειον· ὁ δὲ Πολέμων τὸ ἐκ τῷ Διῒ τεθυμένου ἱερείου.

utrum ad Iovem non minus spectaverit quam ad Minervam, Neptunum, Solem necne, certum non habeo quod dicam.[1]) Tales quidem ritus, quales Scirophoriis observatos videmus, a Iovis cultu non abhorrere, fragmentum quoddam Dicaearchi de Pelion. p. 29. docet: Ἐπ' ἄκρας δὲ τῆς τοῦ ὄρους κορυφῆς — Διὸς ἀκταίου ἱερόν ἐστιν, ἐφ' ᾧ κατὰ κυνὸς ἀνατολὴν, κατὰ τὸ ἀκμαιότατον καῦμα ἀναβαίνουσι τῶν πολιτῶν οἱ ἐπιφανέστατοι, ἐνεζωσμένοι κώδια τρίποκα καινά· τοιοῦτον συμβαίνει ἐπὶ τοῦ ὄρους τὸ ψῦχος. Accedit, quod, teste Paus. I. 24, 3. in arce Athenarum statua fuit terrae implorantis Iovem, ut plueret.[2]) Sed propter hanc solam statuam similemque vellerum usum idem, quod Pelionis accolae celebrabant, Atheniensibus quoque vindicare, periculosum videtur, etiamsi fateor, illa demum lustratione Milichio adiudicata, universum eius cultum perfectum quodammodo absolutumque evadere.

Solebant enim Scirophoria obiri medio fere Scirophorione mense, illo igitur anni tempore, quo Graecorum agri longa siccitate cruciati longoque solis aestu tosti, pluvia frigida, qua omnia animalia et gramina reficiuntur, maxime indigebant. Quemadmodum igitur ingentes perpetuosque imbres auctumnales a malo et irascente Iove (Μαιμάκτης) proficisci et, caesa victima ductaque, si Eustathium audiamus, pompa, avertendos esse credebant, ita, furente Sirio et deficiente aqua, iterum eius mentem alienam esse opinari similique eum religione reconciliare poterant. — Qua in re observandum est, per vellus nubem pluviamque significari non solum in hoc ritu, sed in multis quoque de diis narrationibus.

---

[1]) cf. Preller, Demeter und Persephone p. 247. [2]) Ἄγαλμα τῆς γῆς ἱκετευούσης ὗσαί οἱ τὸν Δία.

Iuvat hoc loco illam commemorare pompam, quam XIX. Munychionis die equites Athenienses Iovi ducebant. De qua quum praeter Plutarchum[1]) veteres auctores taceant, dubitari potest, num omnino cum antiquo Milichii cultu cohaereat. Talium enim pomparum, quales, auctis rei publicae opibus, apud Athenienses ita florere videmus, ut equites non minorem ex iis quam ex rebus in bello bene gestis laudem mererentur, antiqua aetate nulla inveniuntur vestigia. At ne possunt quidem ulla exstare, quum ordinis illius equestris initia et incrementa Solonem demum auctorem habeant. E recentioribus quidem C. F. Hermannus, de fide Plutarchi dubitans, hanc pompam, quae Diasia equestria vulgo appellantur, Anthesterione mense actam esse suspicatus est.[2])

§. 17.

Milichii purgatoria vis in illis quoque caeremoniis cernitur, quibus privatim homines quum ceteris tum maxime patratae caedis culpa solvebantur. — Parricidae enim, quum vitam, omnium bonorum summum et dulcissimum, perderent, quumque rei publicae statum omniumque salutem in discrimen vocarent, ex unanimi populorum consensu, immo ex lege ab ipsa natura praescripta, quod tam sceleste et nefarie commisissent, nonnisi morte luere posse, aut, ut ex ingenio Graecorum loquar, diis inferis addicti esse videbantur. Sed tamen haud facile ullam invenies gentem tam severam et a mitiore animi indole tam alienam, quae scelus

[1]) Phocion. c. 37. Ἦν δὲ ἡμέρα μηνὸς Μουνυχιῶνος ἐνάτη ἐπὶ δέκα καὶ τῷ Διῒ τὴν πομπὴν πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξῄεσαν. [2]) Schneidewin. Philolog. Jahrg. II. Heft 1. p. 10. seq.

illud atrocissimum numini divino ulciscendum non reliquerit; alioquin enim mutuum inter omnes bellum crudelissimum infinitaque caedes saeviisset omnemque hominum societatem et convictum sustulisset. Sapienter igitur vel a rerum publicarum conditoribus, vel ab ordine sacerdotum vatumque, qui prima populorum aetate leges divinas et interpretabantur et custodiebant, traditum est, ut parricidii rei, ii praesertim, qui non habita deliberatione, sed casu quodam et fortuito facinus commisissent, religione piarentur et certis observatis caeremoniis in pristinum statum civium restituerentur. Qua in re monendum est, caeremonias, quibus caedes purgaretur, quum rei quodammodo ab inferis redimendi essent, principio quidem omnes, deinde vero maxima ex parte ad terrestres deos spectavisse. Quodsi igitur, ut ad rem redeamus, Graeci, aut, ut antiquissimus mos erat, a Iove ipso aut ab illo deo, cui Iuppiter id munus delegaverat, piabantur et purgabantur, novum nanciscimur argumentum, quo sententia nostra, quam de terrestri et tristi natura Iovis hucusque defendimus, fulcitur. — Fuit autem piatorius Iuppiter extra Atticam et Arcadum ille *Λύκαιος* et *Λαφύστιος*, qui quam Milichio sint similes, nemo non videt. In Attica vero ipse, de quo sermo est, Milichius purificationis illius munere functus est, et duplici quidem ratione, quarum una haec est: [1])

Is, qui caedem sive sua sponte sive invitus patraverat, qui igitur *Παλαμναῖος* vel *Προστρόπαιος* factus erat, ut perniciem ipsi impendentem vitaret, statim patriam do-

---

[1]) Solum ob id munus Cornutus de Nat. Deor. c. XII. (ed. Osann.) Μειλιχίου nomen ei attribuere videtur: Προσαγορεύουσι δὲ καὶ Μειλίχιον τὸν Δία, εὐμείλικτον ὄντα τοῖς ἐξ ἀδικίας μετατιθεμένοις, οὐ δέοντος ἀδιαλλάκτως ἔχειν πρὸς αὐτούς· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ Ἱκεσίου Διός εἰσι βωμοί.

mumque relinquebat et salutem fuga petebat. Iuppiter enim ipse, qui *Παλαμναίου* et *Προςτροπαίου* nomina inde merebatur, legibus divinis violatis ultor exsistens, nefarium persequi et interfecti consanguineis morte multandum permittere credebatur. Reo in tanta angustia constituto apud quem potissimum tutum asylum patebat, nisi apud hospitem? Ad quem quum pervenit, considit ad focum, fit igitur *Ἐφέστιος*, et gladio aut eo instrumento, quo caedem perfecit, in terram inclinato, demissis oculis, supplicem, i. e. *Ἱκέτην*, *Ἀφίκτορα* sese praebet. In quo manifestum est, haec rursus nomina eo consilio Iovi attributa esse, ut summus legum custos et ultor ipse videre intelligeretur, ne quis, quem facinoris poeniteret, ope deorum privaretur. — Hospes deinde pater familias, more antiquitatis sacerdotii munus exercens, alto sacroque silentio porculum immolat, sanguine parricidae digitos irrigat, ad Milichium preces fundit. Quo facto, omnia quae in sacro usu fuerunt, tolluntur, plagunculae cremantur et aqua libatur. Hisce rite peractis, crimine iam absolutus aut hospes ab hospite salutatur, aut, si ignotus est, quisnam sit et unde veniat, interrogatur.[1])

---

[1]) Laudare iuvat Apollonii Rhod. Argonaut. IV. 693 seqq. versus de Iasone et Medea:

Τὼ δ' ἄνεω καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἐστίᾳ ἀΐξαντες,
ἵζανον, ᾗ τε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται·
ἡ μὲν ἐπ' ἀμφοτέραις θεμένη χείρεσσι μέτωπα,
αὐτὰρ ὁ κωπῆεν μέγα φάσγανον ἐν χθονὶ πήξας,
ᾧπερ Αἰήταο πάϊν κτάνεν, οὔτε ποτ' ὄσσε
ἰθὺς ἐνὶ βλεφάροισι ἀνέσχεθον· αὐτίκα ἔγνω
Κίρκη φύξιον οἶτον ἀλιτροσύνας τε φόνοιο.

Cf. quoque Preller, Griech. Myth. I. p. 94. Hermann Gottesdienst. Alterth. d. Griechen §. 23. fin. et eiusdem §. not. 18. 19. 21.

Multa sane, quibus is purgandi modus enarratur, exstant exempla apud poëtas et antiquarum fabularum scriptores.[1]) Posteriore quoque eum aetate viguisse, nescio an Athenaei IX. 78: *Ἔπειτ' ἀπονιψάμενος αὐτὸς καὶ οἱ ἄλλοι οἱ σπλαγχνεύοντες, ὕδωρ λαβὼν κάθαιρε, ἀπόνιζε τὸ αἷμα τοῦ καθαιρομένου καὶ μετὰ τὸ ἀπόνιμμα ἀνακινήσας εἰς ταὐτὸ ἔγχει·* — et Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 289. *Ἐγχυτρίαι, ὅσαι τοὺς ἐναγεῖς καθαίρουσι αἷμα ἐπιχέουσαι ἱερείου* — testimonia probent.[2]) Ex eo certe, quod postmodo quoque *καθαρμοί χοιρόκτονοι* commemorantur, id colligi posse mihi videtur.

De altero purgandi genere, quum a Suida et auctore in Bekkeri Anecdotis nonnisi id memoriae proditum sit, reconciliandos in vellere illo Iovis consistere debuisse, neque aliud quidquam nobis repertum sit, quod ad hanc rem illustrandam afferamus, altius quaerere quamquam invito animo desistimus. Liceat tamen id coniicere: Factum esse potest, ut sacra haec piacularia, quoniam, iisdem quos diximus auctoribus, cum Eleusiniorum mysteriis cohaerere videntur, una cum illis demum magis magisque innotescerent et aut ab iis, qui Eleusiniis initiati erant, aut a gente quadam sacerdotali peragerentur. De primo enim genere e Paus. I. 37, 3.[3]) et Plutarcho Thes. c. 12.[4]) notum est, Phy-

---

[1]) Eiusmodi exemplum praebet Herod. I. 41. seqq. Adrasti fata enarrans. De Ixione vid. Preller. l. c. II. p. 11. Alia denique exempla congessit multa Lobeckius, vir doctissimus, Aglaoph. p. 968. [2]) cf. Etym. M. p. 313. [3]) Διαβᾶσι δὲ Κηφισσὸν βωμός ἐστι ἀρχαῖος Μειλιχίου Διός· ἐπὶ τούτῳ Θησεὺς ὑπὸ τῶν ἀπογόνων τῶν Φυτάλου καθαρσίων ἔτυχε. [4]) Προϊόντι δὲ αὐτῷ καὶ γενομένῳ κατὰ τὸν Κηφισσὸν ἄνδρες ἐκ τῶν Φυταλιδῶν γένους ἀπαντήσαντες ἠσπάσαντο πρῶτοι, καὶ δεομένου καθαρθῆναι, τοῖς νενομισμένοις ἁγνίσαντες καὶ μειλίχια θύσαντες εἱστίασαν οἴκοι.

talidarum gentis munus antiquum et patrium fuisse caede pollutos piare.

§. 18.

Quibus de Iovis Milichii nomine et natura et cultu disputatis, ad absolvendam quaestiunculam adhuc reliquum est, ut de sollemnibus Diasiarum festis diebus, quos supra obiter tantum tetigimus, disseramus. Quaeritur autem, utrum Diasiis incruenta modo, an etiam cruenta sacrificia Iovi sint facta, de quibus Thuc. I. 126: *Ἔστι γὰρ καὶ Ἀθηναίοις Διάσια ἃ καλεῖται Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίου μεγίστη, ἔξω τῆς πόλεως, ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι, πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια.*

Iis, quae apud Xenophontem, Aristophanem, Lucianum [1]) leguntur, cum Thucydidis verbis collatis, non mirum est, viros doctos de hac re dissentire. — Gyraldus [2]) quidem, ceterorum testimonia negligens, in Thucydidis verbis ita haeret, ut etiam aliam a se ipso, uti affirmat, in uno Thucydidis codice repertam lectionem „*οὐχ ἱερεῖα μόνον, ἀλλὰ κτλ.* respuat et fruges tantum oblatas esse censeat. Contra quem Castellanus, [3]) illorum testimoniis confisus, aut Thucydidem non recte rem prodere aut quidquam gravioris momenti e scriptura excidisse arbitratus est. Illud tamen Hemsterhusius [4]) primum ab auctore gravissimo ita conatur arcere, ut *πολλοί* voculam per multi reddens eos significari putet, quibus instituti veteris, quo solas fruges offerri licuit, maior fuerit religio. Thucydidem igitur suo more, quo rerum nar-

---

[1]) Locos §. 3. citavi. [2]) Hist. Deor. Syntagm. II. p. 83. [3]) Syntag. de fest. Graec. p. 72. s. v. Διάσια. [4]) Hemsterhus. ad Schol. Lucian. Tim. c. 7. Tom. I. p. 113.

ratu digniorum potissimum mentionem faciat, cruenta sacrificia silentio modo transisse, non autem prorsus negasse. Deinde vero corruptam hoc loco lectionem esse existimans, pro „(ἑορτῇ) ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια“ scribendum proposuit „θύουσι δὲ πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα, ἁγνὰ δὲ θύματα.“ Quam mutationem partim e scholiasta ad hunc locum Thucydidis partim e Polluce Onomast. I. 26. Τὰ δὲ ἀρώματα καὶ θυμιάματα καλεῖται, Θουκυδίδης δ᾽ αὐτὰ εἴρηκεν ἁγνὰ θύματα — defendit.[1]) Vulgatam rursus lectionem receptumque sensum, quo de incruentis tantum sacrificiis sermonem esse volebant, Dukerus[2]) tueri studuit, nullo tamen eventu. Bredovius tandem illis verbis mea quidem sententia haud obscuris facili negotio lucem attulit virgulam post θύουσι ponens, et locum ita distinctum quum alii, quibus disserendi de eo occasio fuit,[3]) tum editores Thucydidis recentiores fere omnes[4]) acceperunt. Inter recentiores tamen hanc Bredovii interpunctionem C. Fr. Hermannus denuo impugnavit. Primo quidem in libro, quem de Graecorum antiquitatibus sacris conscripsit (Gottesdienstl. Alterthümer §. 25. n. 8.), nulla addita causa pro πολλοί legerat πολλά. Deinde vero de hac nostra re quaestionem instituens[5]) ideo distinctionem, quae

---

[1]) Solum enim in hunc Thucydidis locum illa Pollucis ἁγνὰ θύματα quadrant. Sed quam infirma sit Hemsterhusii coniectura, iam Jungermannus (ad l. c. Polluc.) vidit, qui Platon. de leg. VI. p. 782. Θύματά τε οὐκ ἦν αὐτοῖς ζῶα, πελανοὶ δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα· laudans monet, Pollucem „vacillante memoria“ pro Platone Thucydidem scripsisse. [2]) Ad l. c. Thuc. I. 126. apud Popponem. [3]) Creuzer Symb. III. p. 112. Gerhard, Griech. Mythol. §. 193. n. 5. [4]) Praeter Popponem et Kruegerum iam laudatos vide Goellerum Lips. 1836. Morstadtium Francof. 1830. [5]) Ueber die Diasien und die

pro vulgata paene esse potest, reiicit, quod duriorem neque in Thucydide quidem ferendam verborum consecutionem praebeat. In verbis enim „ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι, πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια“ unam alteramve particulam nullo modo posse desiderari contendit. Sed, quamvis viri et doctrina et acumine ingenii aliis excellentis auctoritatem intactam esse velimus, dicendum tamen est, nostro loco grammaticum certamen ad absolvendam rem dubiam nihil prodesse; alii enim iique non minus probati interpretes, admittere non dubitant, in quo Hermannus ita haesit, ut de incolumitate scripturae desperans omniumque codicum auctoritatem negligens, pro πολλοί iterum πολλά aut potius πλὴν ἱερεῖα κτλ. emendandum proponeret. Quibusnam autem aliis causis adductus sit, ut tanta auderet, paulo infra videbimus. Ego vero cur Bredovium reliquosque secutus sim et cur a Thucydide narrari existimem, quod iam Hemsterhusius divinavit, ea quae allaturus sum docebunt.

§. 19.

Utra prius, animata an inanimata homines numini divino sacrificaverint, quaestio mihi videtur propter temporum vetustatem et obscuritatem sinceris argumentis haud dissolvenda et ni fallor otiosa. Fuit enim pii gratique erga deum animi ex omnibus, quae terra in usum hominum gignit et alit sive animalia sive fruges, quum munera divinitus data esse viderentur, nonnulla et optima ea ad facienda sacra eligere. Et ita quidem antiquissimis temporibus observatum esse, vel ipsa sacra scriptura, ubi de Caini et Abeli sacri-

---

Verehrung des Zeus Meilichius zu Athen. Philol. v. Schneidewin Jahrg. II. p. 1—11.

ficio refert, testimonium praebet, de historica vero aetate communis omnium notiorum populorum, imprimis Romanorum et Graecorum mos, quo tam cruenta quam incruenta offerebant, nihil dubii admittit. — Sed iam ad Graecos redeamus. Multi contenderunt, initio illos solis incruentis rem divinam fecisse. Contra alii putaverunt, genus hominum, simul atque terra editum fuisset, ut ipsum carne tantummodo animalium captorum nutritum sit, sic numen quoque divinum solo cruore placavisse, et mirandum est, utriusque sententiae etiam recentiores defensores exstitisse. Priorem quidem Plato[1]) et Porphyrius[2]) omnesque ii amplexi sunt, qui primis hominibus eximiam animi clementiam morumque simplicitatem et puritatem attribuerunt. At me iudice nec Platonis nec Porphyrii auctoritas hoc loco quidquam valet. Uterque enim Pythagorae de hac re placitis addictus id studet, ut hominum mores suo tempore luxuria iam corruptos et depravatos ad priscam innocentiam revocet, et ideo non ea, quae antiquis temporibus vere facta sunt, fidi rerum perscrutatores narrant, sed quae ab aequalibus observari volunt, antea facta esse, poëtarum more fingunt. Eiusmodi consilium quam facile Platoni quoque e praesumta opinione nasci potuerit, e Porphyrio manifestum est, qui eodem ordine, quo herbas frugesque e terra crevisse dicit, sacrificiorum quoque genera mutata esse opinatur. Eusebius[3]) quidem de Graecis idem quod Plato et Porphyrius praedicat, sed aut illorum vestigia pressit aut suo populo hanc laudem adversus Iudaeos vindicare voluit. Neque ea, quae Pausanias VIII. 2, 1 de Cecrope narrat: *καὶ ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν*

---

[1]) De legg. VI. p. 782. [2]) De abstin. II. 5. [3]) Praepar. Evang. I. p. 28.

ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι — adversus nos pugnabunt. Cecropi enim, a quo veterum Atticorum vita eousque rudis certis legibus liberisque institutis et agris colendis assuefacta et mitigata esse putabatur, nihil sane magis potuit cordi esse, quam sacra lege providere, ne quid e mactata pecude agricultura detrimenti caperet. Quod si iam antea diis nonnisi pura oblata fuissent, eum profecto de hac re legem ferre necesse non fuit, neque etiam quisquam erit, qui dicat, ante Cecropem nulla omnino sacrificia fuisse. Illud tamen a Cecrope sapienter institutum non diu viguisse, sed Atticos ad priorem morem rediisse, idem Pausanias I. 28, 11 et I. 24, 4 ubi de *Διϊπολίων* vel *Βουφονίων* ritibus et origine loquitur, memoriae prodidit. Narrat autem in hunc fere modum: Erechtheo regnante a muneribus Iovi *πολιεῖ* paratis et tritico hordeoque compositis bovem lambisse ideoque a sacerdote caesum esse. Quamvis vero ille propter violatam sacram Cecropis legem, ut poenam vitaret, statim in Cretam aufugisset, tamen ex illo tempore ab immolando eo die bove non desitum esse, hisce observatis caeremoniis: Ad Iovis aram re sacra instructam ab hominibus, qui inde *Κεντριάδαι* nominabantur, boves adigebantur. Quorum is, qui triticum hordeumque gustaverat, ab aliis, qui *Βουτύποι* vel *Βουφόνοι* dicebantur, occidebatur et a *Δαιτροῖς* dissecabatur. At ille, qui *Βουτύπος* fuerat, abiecta securi fugiebat et initio quidem nunquam reversurus. Quo facto nemini nisi relictae securi patratae caedis culpa imputari et causa dici potuit. Unde apparet, veteres Athenienses, quamvis tali observata caeremonia antiquae et sacrae legi pietatem illaesam voluerint, cruenta tamen sacrificia necessaria esse, credidisse.

Itaque, quod in cultu *Πολιέως* mutatum esse vidimus, idem cur non de universo apud Athenienses Iovis cultu cre-

damus? Nam quod apud Paus. l. c. legitur, de Cecrope tantum eo consilio narratur, ut illius humanitas Lycaonisque Arcadum regis ferocia appareat. Ex eo autem, quod ab Atheniensibus sacrae plagunculae, quas Iovi offerebant, *πέλανοι* posteriore quoque aetate appellatae sunt, nullo modo potest concludi, praecipua Iovis sacra fuisse incruenta. Deinde Iovi quidem summo (*Ὑπάτῳ*), quem Cecrops eo cognomine appellavit, Athenienses in ara quadam, ad Erechtheum sita, incruentis fecisse, idem Pausanias[1]) auctor est.

Sed quum praeter hoc nihil de eo notum sit, iure nobis dubitare videmur, num omnino in universum publicumque cultum transierit, quod etiamsi constaret, demonstrandum tamen relinqueretur, eum esse Milichium. Quare id tantum audemus dicere, Atheniensium *Ὕπατον* inter illos recensendum esse deos, quorum cultus antiquioribus quidem temporibus florebat, posterioribus vero sola pietate retinebatur, ne institutorum factorumve quorundam memoria intercideret. Et haec quidem adversus Hermannum (l. c. p. 2.), qui et Cecropis institutum et *Ὑπάτου* incruenta oblata cum Milichii cruento sacrificio pugnare arbitratus est.

§. 20.

Laudant praeterea veteres scriptores nonnulla loca, quae aras habuerint sanguine victimarum nunquam conspersas (*Βωμοὶ ἀναίμακτοι*). Prae aliis commemorant Apollinis Genitoris (*Γενέτορος*) in Delo insula aram, cui triticum hordeumque et libamina imponebantur[2]), ad quam ni-

---

[1]) Πρὸ δὲ τῆς εἰςόδου (sc. τοῦ Ἐρεχθείου) Διός ἐστι βωμὸς Ὑπάτου, ἔνθα ἔμψυχον θύουσιν οὐδὲν, πέμματα δὲ θέντες, οὐδὲν ἔτι οἴνῳ χρήσασθαι νομίζουσι. I. 26, 5. [2]) Diog. Laërt. VIII. 3.

mirum sanguine hostiarum non pollutam Pythagoras precandi causa accessisse traditur.[1] Eadem Apollo Patarae[2] Athenis[3] Amyclis[4] suscipiebat, et Apollini, lucido deo, purae sanctaeque lucis largitori, quod sacris factum est, quae pura et sancta habebantur, quis est qui miretur? Simili modo cur Venus Paphia in Cypro insula thure et floribus, apud Aeginetas Salus, Pax apud Athenienses patriis placentis (θύμασι ἐπιχωρίοις) cultae sint, causa in aperto est, considerata earum dearum natura. Accedit, quod Apollinis et Veneris religio magna et fortasse ex ea potissimum parte, qua maxime animi hominum mitigabantur et ad sanctiora ducebantur, recentior est, quam ut inde nostra de antiquissimis Graecorum sacrificiis sententia immutetur. Quod denique Dianae, Lunae, Hecatae arae edulio quodam, quod Βοός nomine apud veteres circumfertur, ornatae sint, partim similis, nimirum Dianae et Lunae, partim alia fuit ratio. — Ceterum ut hanc rem absolvam, ea quae attuli praeter dubiam antiquitatem pauciora quoque sunt, quam ut vetustissimi et per totam Graeciam vulgati moris reliquiae praedicentur. Itaque nisi certioribus argumentis et testimoniis demonstratum erit, incruentas illas aras et plures fuisse et e propria Graecorum indole profectas atque a primordiis rerum Graecarum institutas, non adducar, ut incruentorum sacrificiorum laudem iis potissimum impertiar. Namque cur posterioribus temporibus duplici sacrificandi modo sese exsolverint, in eo causa quaerenda videtur, quod auctis rerum publicarum opibus et diebus festis cum magna populi frequen-

---

[1]) Clemens Alex. Strom. VII. p. 448. Potter. [2]) Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 129. ed. Pap. Oxon. 1697. [3]) Suid s v. Διακόνιον et Εἰρεσιώνη. [4]) Lobek. Aglaoph. p. 1064. cf. Creuzer Symb. IV. p. 634.

tia et concursu celebrari coeptis, sacrificiorum quoque genera, varietatem, numerum augeri oportuit. Quam ob rem tum incruentorum usum cum hostiarum caede ita coniungebant, ut libamina et frugum plaguncularumque oblationes „προθύματα“ i. e. „τὰ πρὸ τῆς θυσίας γενόμενα θυμιάματα ἢ πλακούντια“ essent, tum in victimis mactandis eo perventum est, ut vix civitates onera sacrificiorum sustinerent, nedum privati et tenuiorum ordinum homines, quibus, ut pauperi in Anthol. Lat. VI. 72., non in privato solum, sed in publico quoque sacrificio haud raro satis fuit liba et molas in ignem dare.

Quibus disputatis iam haec videntur patere:

Quum incruentis cruenta sacrificia praestarent, iam per se non verisimile est, celeberrimis Diasiorum festis diebus, quibus tota urbs laeto convivio gaudebat, Milichio sola incruenta facta esse. Iis sane tum locus esset, si Milichium nullam aliam nisi terrestrem naturam prae se tulisse ostenderetur. Id quod nemo hucusque contendit, e contra plerique mythologi id ipsum dubitaverunt, pauci obiter tantum tetigerunt. Quid? fac Milichium deum fuisse mere terrestrem, num quid sola incruenta sacrificia vindicare poterimus? Quoad nos quidem novimus, e terrestribus diis solae furiae incruentis et νηφαλίοις quidem antiquitus colebantur.

Et haec, quae modo ex ipsa rei conditione deduximus, confirmantur locis initio huius quaestiunculae laudatis, Xen. Anab. VII. 8, 4. Aristoph. Nub. 407. Lucian. Tim. c. 7., quos Hermannus (l. c. p. 4. seqq.) frustra mihi videtur impugnare. — Verum quidem est, Xenophontem Diasia non celebrare, sed, ut verba manifeste docent, Milichio sacrificat, quem in privato iisdem atque in publico sacrificio coli debuisse, luce clarius est. Id quod Hermannus ideo negat, quia Xenophontis in patriam redituri atque Atheniensium Diasia celebrantium non eandem fuisse conditionem putat.

Sed Diasiis Athenienses Iovem iratum placavisse, supra satis mihi ostendisse videor, et Xenophontem pro ea qua fuit erga deum pietate idem fecisse, apertum est. Nam tot laborum, tot molestiarum inde a pugna apud Cunaxam toleratarum recordans et calamitates nonnisi hominibus diis invisis accidere persuasum habens, tandem aliquando facultatem nactus, ira dei sese exsolvere et felix domum pervenire voluit. — Xenophon ὡλοκαύτησε i. e. totam victimam igne cremavit, id quod, Hermanno ipso[1]) docente, in sacrificiis diis inferis immolatis fieri solebat, et Athenienses Diasia cum quadam tristitia (μετά τινος στυγνότητος) peregisse apud scholiastam legimus. Utrique igitur ritus quosdam purificos vel piatorios observabant. Aliam enim causam, cur Xenophon sacrificaverit, non video, et in rebus sacris tristitiae tum tantum locus esse videtur, quum deorum aliquis, qui irasci creditur, mitigandus aut immundi aliquid purgandum est. Eiusmodi autem caeremoniam solis plagunculis oblatis factam esse, neque Hermannus neque alius quisquam demonstrare poterit. Quare non de solis plagunculis cogitans scholiasta tristia fuisse Diasia annotavit, sed alios praeterea ritus et eos piatorios sine dubio in mente habuit, quos aut ipse nescivit aut eos omnibus notos esse ratus, silentio praeteriit. Quae quum ita sint, is mihi quidem a veritate non omnino aberrare videtur, cui sacrificium illud suillum a Xenophonte immolatum in mentem venit. — Concedimus deinde Hermanno dicenti, ex eo, quod Xenophon ὁλοκαυτεῖ, sequi, Strepsiadem in Aristoph. nubb. carne sacra cum propinquis non potuisse laute vivere, sed indidem quomodo quidquam contra cruentum Diasiorum sa-

---

[1]) Gottesdienstl. Alterth. §. 28. n. 25.

crificium efficiatur, non video. Contra mihi dierum festorum ratio postulasse videtur, ut animalium, e quibus celebrantes diis hostiam immolabant, eorundem ipsi, si quidem edenda erat, carnem ederent, quumque in piatoriis iisque sacrificiis, quae diis inferis fiebant, totum deleretur animal, alia eiusdem generis animalia ad parandas epulas esse mactata, verisimile est. Tali sane modo ille Aristophanis locus ad confirmandum Milichii sacrificium suillum non prorsus mihi ineptus esse videtur.

Id enim solum contendimus, publice suem Diasiis Milichio immolatum esse, neque tamen ideo negamus, alia animalia non solum Luciani, ut ex locis quos §. 3. laudavi manifestum est, sed iam Cylonis temporibus, uti ex tota apud Thucydidem narratione apparet, epulandi causa esse caesa. Quam facile enim brevi cum his festis diebus, qui initio purifici erant et tristi cultu celebrabantur, laeta festivaque convivia coniungi potuerint, partim ex more Atheniensium, quo ad agendos laetos dies propensiores erant, partim ex eo perspicuum est, quod in fine huius quaestiunculae monebimus. Quo si accedit, ut Graeci et imprimis Athenienses, quorum pietatem in proverbio fuisse notum est, splendidius epulantes deorum nunquam sint obliti, sed ut eos quisque coluerit, quibus se gratum praestare volebat, non mirum videtur, sicut Hermanno visum est, neque cur apud Lucianum Icarom. c. 24. totus Olympiorum chorus queratur, quod neglectis iam Diasiis nullis fruerentur epulis, neque cur Charid. c. 1. res sacra ad Mercurium spectet. Ceterum qui cum Hermanno Diasia a reliquo Milichii cultu separat et illis incruenta, huic vero cruenta sacrificia vindicat, adversus haec verba Thucydidis pugnat: *Ἔστι γὰρ Ἀθηναίοις Διάσια ἃ καλεῖται Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίου μεγίστη κτλ.*, quae manifestum est nihil aliud nisi hoc significare posse: Quae vocantur Diasia summe solemnes sunt dies festi Mi-

lichii. Ad plagunculas illas Diasiorum quod attinet, quae Thucydides *θύματα ἐπιχώρια* dicit, scholiasta vero per *πέμματα εἰς ζώων μορφὰς τετυπωμένα* explicat, satis constat, edulia ea fuisse sacra et Atheniensibus peculiaria. Variae enim varie figuratae placentae, quae generali nomine *πέμματα* et *πόπανα* et *ψαιστά* appellabantur, veteres in sacris cultuque deorum habuisse, pluribus Lobeckius docuit.[1]) Quem morem apud Athenienses quoque viguisse, Proculus in Polit. p. 419[2]) opportune testatur hisce verbis: *Ἐνταῦθα Πλάτων ἔθος ἡμᾶς ἐδίδαξε τὸ Ἀττικὸν, ὡς ἄρα γυναῖκες ἦσαν οὐχ αἱ ἀλετρίδες μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποπανοποιοὶ, μιμούμεναι τὰς φύσεις τὰς πλαττούσας, ὅσα τοῖς θεοῖς ἀνιᾶσι ζῷα καὶ φυτά.*[3]) Cum hoc Proculi loco conferendum est, quod Pausanias VIII. 2, 1. scribit: ....*πέμματα ἐπιχώρια*.... *ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι* — et Sannyrio fragm. com. 873. Meineke. *Πέλανον καλοῦμεν ἡμεῖς οἱ θεοὶ, ἃ καλεῖτε ἄλφιτ' ὑμεῖς οἱ βροτοί.* Unde cognoscimus, placentas illas sacro nomine *πέλανοι* dictas esse, quae vel etiam quales fuerint, e Timaei Lex. Plat. novimus: *Πέλανοι πέμματα ἐκ παιπάλης καὶ ἐλαίου καὶ μέλιτος πεποιημένα πρὸς θυσίαν.*[4])

§. 21.

Διάσια quum scholiasta ad Aristoph. Nub. v. 407. inde dicta esse scribat,[5]) quod *αἱ ἄσαι* precibus pulsae sint, sine dubio *ἄση* radicem in nomine Diasiorum latere putat.

---

[1]) Aglaoph. p. 1061. seqq. Confer quoque Bekker. Anecd. Gr. p. 294, 27. Tim. Lex. Plat. Suid. s. v. [2]) Aglaoph. p. 1070. [3]) Quae sic scribi mavult Lobeckius: αἱ μιμούμεναι τὰς φύσεις ἀναπλάττουσι. [4]) Conf. Aristoph. Plut. v. 661. [5]) Verba iam citavi §. 3.

Mirandam hanc, sed apud veteres grammaticos haud inauditam derivandi rationem nostro loco secuti sunt, forsitan inde hauserunt Suidas[1]) et ad Lucian Tim. c. 7. scholiasta,[2]) quam licet alias ultro explodamus, in nostra tamen re ideo paulo diligentius discutiemus, ut, si quid nobis contingat, id ad Iovem Milichium eiusque Diasia magis illustranda referamus.

Grammaticorum error praeter nimium et ineptum derivandi studium e duarum et inter se diversarum vocum confusione ortus esse videtur, quarum una *ἀσαίνω* a Reiskio, qui ad I. Pauli ep. ad Thess. c. III. 3. pro *σαίνεσθαι* — *ἀσαίνεσθαι* coniecit, pluribus explicatur;[3]) altera *σιαίνω* apud scriptores quidem posterioris aetatis legitur, sed nihil commune cum *ἄση* habet. — *Ἀσαίνω* verbum, cuius variae formae etiam nunc apud vetustiores scriptores exstant,[4]) ad *ἄση* eadem lege reducendum est, qua *ἀταίνω* ad *ἄτη*, *ῥυπαίνω* ad *ῥύπος* et alia eiusdem generis. *Ἄσης* vero voculae prima significatio esse videtur satietas aut potius nimia satietas, deinde fastidium, taedium, hinc natum. Ex Hippocrate certe medico[5]) id perspicuum est, eos qui *ἄσαις* cruciarentur stomachi et viscerum doloribus laboravisse, nec quemquam fugit, voculam cum radice *ἈΩ* cohaerere. Taedio autem vel fastidio ab impleto ventre nascente animum quoque hominis male affici et demissum, tristem, anxi-

---

[1]) Προςαγορεύεται δὲ Διάσια ἀπὸ τοῦ διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαῖς τὰς ἄσας. [2]) Ἔοικε δὲ καὶ τοὔνομα ταύτῃ (sc τῇ ἑορτῇ τῶν Διασίων) ἀπὸ τοῦ διασιαίνειν τεθεῖσθαι. V. Διασιαίνειν δὲ τὸ ἀποτρέπεσθαι τὰς ἀνίας. Scholiasta ad Eurip. Orest. v. 89. ed. Matth. Vol. IV. p. 297. minus audax Διάσια recte derivat a Διΐ, quomodo Κρόνια a Κρόνῳ et alia multa. [3]) Valckenaer. Opusc. II. p. 247. seqq. [4]) E. g. Theogn. 592. Herod. III. 41. Theocrit. XXV. 240. [5]) Videsis indicem Hippocrat. ed. Foes. s. v.

um fieri indeque tum taedii fastidiique animi tum tristitiae anxietatisque eiusdem animi oriri posse significationes, manifestum est. Sed quoniam sanum corpus, maxime vero venter ab omnibus iis liber et purus est, quae ei vel aliena vel inimica sunt, quoniamque ea quibus gravatur sordes sunt et aut arte aut natura educuntur: per ἄση voculam sordes quoque animi exprimi poterant. Quarum fons duplex est: aut enim ex tristitia, e nimio moerore, aut, quum similes corporis similes morbos animi veteribus indicabant, e culpa proficiscuntur. Unde duplex, opinor, ἄσης significatio explicanda est, quam Suid. s. v. exhibet: Ἄση· ῥύπη.. ἡ λύπη. — Omnes, quas tetigi, significationes in verbo ἀσάω reperiet, qui quae circumferuntur lexica adierit.

Σιαίνω deinde verbum ab Hemsterhusio[1]) et Valckenario[2]) ex σικχαίνω corruptum et posterioris graecitatis esse habetur et a Reiskio eodem Pauli loco pro σαίνεσθαι commendatur. Σικχαίνω quidem eique cognata σικχός, σικχότης, ἄσικχος saepe a scriptoribus usurpantur, de quibus lexicographi nostri docebunt. Sed σιαίνω, quod equidem scio, nusquam nisi apud scholiastam ad Lucianum modo laudatum pro varia lectione μιαίνειν et in nostro schol. ad eiusdem Lucian. Tim. c. 7. loco legitur, ubi non διασιαίνειν, sed cum Hemsterhusio Δία σιαίνεν legendum est.

Iam vero exoritur quaestio, quidnam, quum talia ad Aristophanem et Lucianum annotarent, scholiastae memoriae prodere voluerint. Supra ego ostendere conatus sum, Iovem Milichium et pluvialem esse deum et in terra atque in solo agrorumque humo versantem. Utraque eius haec proprietas

---

[1]) Ad schol. Lucian. dial. mort. c. 9. ed. Jacobitz. Vol. IV. p. 96. [2]) L. c.

vere manifestior apparet, quam alio tempore. Tum enim maxime multos magnosque e coelo mittit imbres, quibus, quae hieme frigida et tanquam mortua iacebant, humectata calescunt atque ad edenda gramina frugesque ferendas denuo apta efficiuntur. Sed etiam sponte hoc anni tempore vires procreandi terrae renovantur et mediocribus imbribus laetiores segetes in lucem eliciuntur, nimiis vero defluentibus plus minusve detrimenti capiunt, quippe quum terra abundet et veluti satiata sit aqua. Quam ob rem, agebantur enim haec solemnia ineunte vere, Athenienses Iovem implorabant, ut tandem pluere desinat, ut aquae terrestri et coelesti modum ponat, ut brevibus dicam: deprecabantur satietatem terrae. Idem ex verbis schol. ad Lucian. Tim. c. 7. posterioribus: Δία σιαίνειν δὲ τὸ ἀποτρέπεσθαι τὰς ἀνίας, quae non eundem atque priora auctorem habere videntur, levi admissa coniectura nanciscimur. Verba enim ἀποτρέπεσθαι τὰς ἀνίας, quibus Δία σιαίνειν explicatur, idem fere significare debent, quod apud Suidam διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαῖς τὰς ἄσας, et ἀποτρέπεσθαι depellere propulsare hoc loco valere, quod averruncare, manifestum est. Sed cum τὰς ἀνίας coniunctum nullum praebet sensum. Quare pro τὰς ἀνίας emendem τὰς πανίας, quae vox paene ignota in ἀνίας facile potuit mutari. Dorica autem est et, ut ex Papii lexico video, Messapia quidem significatque πλησμονήν. Ea poëtas usos esse, Athenaeus III. p. 111. C. dicit. Tali modo apparet, quonam consilio ille grammaticus ductus fuerit, qui scholium nostrum auxit; legenti enim ἄσας, voculam iam demortuam, in mentem ei venit alia eadem significatione non minus rara et digna, quam data hac occasione posteris traderet.

Denique, sicut tota natura redeunte vere, non dico laetiorem, sed novam prorsus induit faciem, ita quoque ho-

mines — et veteres quidem eo nos superabant — omni tristitia, omnique abiecto fastidio, quod, quando tempestates saeviunt, quando tam multa quae crescunt et vivunt aut morte sepulta aut mortis simili somno sopita sunt, tam facile animum invadit, tantasque molestias perpessi, recentis anni diu desiderata gaudia laeti arripiunt. Itaque solemnia quae vocantur vernalia apud multos populos invenimus ita celebrata, ut et hiemem molestam et aegre transactam malis precibus et caeremoniis extra fines urbium et pagorum prosequerentur, et ver appropinquans et novas voluptates secum ferens salutarent magnaque cum laetitia introducerent.


UNIVERSITY OF CHICAGO
13 277 486